

† R. P. Aloisius Porrazzo.

(*Prov. Siculae*).

Qui nuper de P. Lojacono mortuo notitias tanta pietate scriptas (*Analecta*, IV, 1, pag. 47) conguessit, eius nunc ipsius vitam texere nos oportet.

Huic carissimo fratri dies festus, quo Beata Virgo divinum suum Infantem Deo Patri in templo obtulit (dies 2 februarii) ter natalis factus

est. Anno enim 1846 eo die in vitam terrestrem intravit, eodem deinde annum vitae vicesimum adeptus votis in Congregatione nuncupatis S. Alphonsi filius factus est, ac tandem octogesimo aetatis anno vix incepto eodem die 2 februarii huius anni 1925 vitam aeternam petiit.

Natus igitur est die 2 februarii a. 1846 in vico Pietradefusi provinciae Avellinensis in regno tum Neapolitano, parentibus propinquisque piissimis ac honestis. Avunculos habuit sacerdotes, frater natu maior senex nunc etiam in Congregatione Pallottina sacerdos Deo servit, nepos nepotisque ex altero fratre item Deo se dicaverunt. Aloisius a puero indole erat miti et affabili, ita ut omnibus acceptissimus esset. Cum ad s. mensam primum accessurus esset, pia mater ipsa eius animum puerilem recte instruere voluit, illoque die filiolum a latere suo discedere non est passa, ne familiaris eius consuetudo cum Iesu Christo turbaretur.



Studiis humanioribus superatis a. 1864 cum fratre maiore Romam perrexit et, qui iam diu a Deo suaviter allectum se senserat, in domo Monteronensi cognita vita filiorum S. Alphonsi religiosa rogavit, ut in Congregationem nostram admitteretur. Mox Buxilengum missus est in noviciatum, quo optime peracto die 2 februarii a. 1866 votis perpetuis emissis vitam suam Dei servitio consecravit. Tempora tunc in Italia secuta sunt rerum novarum turbis inquieta et difficillima, quare clerici nostri extra patriam missi sunt nonnullosque per annos in collegio Puchheimensi provinciae Austriacae studentatus eorum constitutus erat. Eo Aloisius quoque noster s. professione facta concessit. Die 14 octobris a. 1870 ad sacerdotium promotus est.

Studiis finitis P. Porrazzo a superioribus in provinciam Anglicam missus est, ut collegio Perthensi Scotiae ascriptus, cum linguam anglicam satis didicisset, etiam in laboribus apostolicis anglicis operam praestare posset. At commotionibus in Italia sedatis in patriam revocatus et mense augusto a. 1887 domui Frusinonensi adscriptus est, unde per nonnullos annos in missiones exivit. Inde in Siciliam missus est, ut Mazarae primum populo ad sanctuarium B. M. V. de paradiso affluentis operam suam praestaret, et cum duos annos domui Panormitanae praefuisset, iterum Mazaram rediit, ac tandem die suo natali, 2 februarii a. 1904, Saccam venit, unde viginti et uno anno post eodem redeunte die festo in patriam caelestem migravit.

P. Porrazzo voce debili impediabatur, quominus magni oratoris laude floreret. At cum in pulpitum prodiit, orationes eius doctrina solida plenae erant et suavitate ac pietate quadam sincera audientium animos non atrahebant tantum, sed commovebant. Indoles eius propria caritas erat cum humilitate et amabilitate sociata, ita ut obsequendi et annuendi tantum verba novisse, negandi vero verbum oblitus esse videretur. Cum prae-

dicando verbo Dei parum operam dare posset, eo plus in confessionali laboravit, ubi praesertim diebus festis paenitentium ex omnibus ordinibus grege stipatus superpelliceum stolamque, quae summo mane induerat, ante meridiem non deponebat. Nulla sive diei sive noctis hora infirmos invisere moleste ferebat. Multi sacerdotes sororesque religiosae ei conscientiam suam moderandam tradiderunt. Permulti homines eum adibant consilia varia petentes; pacis inter discordantes conciliandae defensor erat sollertissimus et ingeniosus. Si quis ei miserias suas conquestus est, P. Porrazzo saepe lacrimas tenere non potuit, tamquam sua res ageretur. Controversias componere, litteras petentibus conscribere, libellos supplices texere suum erat.

Quid mirum, quod talis homo ab omnibus magni habebatur sacerdosque sanctus etiam ab iis dicebatur, quibus religionis haud multum curae est? Id praecipue apparuit, cum Domino vocanti obsecutus vita cessisset. Corpus enim senio debilitatum anno 1924 praecordia inflammata aegre quidem superare potuit, sed initio huius anni 1925 ad morbum, quem influentiam dicunt, renium aegritudine accedente P. Porrazzo brevi aeternitatis portam pulsavit. Morbi dolores, cum pituitam e pectore solvere non posset, maximi erant, at aegrotus sereno vultu Domino in Cruce pendenti et Beatissimae Virgini se commendans, quorum imagines iterum atque iterum osculatus est, eorum auxilio confortatus numquam conquestus est. Tandem loquendi etiam usum amisit ac paulo post vultu placido spiritum Deo reddidit.

Corpus eius in feretro expositum maxima populi multitudo veneratura invisere voluit, et custodibus positis bene providendum erat, ne vestes decisae a gente auferrentur. Funus denique ingenti civitatis concursu elatum est. Non solum civitatis clerus consociationesque catholicae, sed ipsi quoque magistratus humili Redemptoristae iusta solvere voluerunt, quod ille solus, ut servo fideli fidem redderet, effecisse dicendus est, qui quondam dixerat: *Qui se humiliat, exaltabitur.* R. i. p.!